

septendecim imprimi meminimus, dicendum est
aliàs. Unum hoc addo, Lutherum grauius scri-
bere, se optare, ut omnes, qui imaginentur & poli-
ceantur sibi eruditionem præ alijs insignem, adhi-
beantur ad laborem rectè transferendi Biblia in
germanicam linguam, certò enim se scire, depo-
situros illos esse omnem de sua eruditione persua-
sionem. Sint autem alij aliquid, & honore suo fru-
antur, censuris suis ludant & gaudeant (quod
etiam stultissimus quisq; facere solet) & præstent
multa non indigna laude: nobis Germanica ver-
sio carens omni fūco, omni caligine, omnibus la-
byrinthis, perspicua, propria, doctrina & conso-
lationis plena, lux & via est, versiones alias in
lingua quacunq; & intelligendi, & dijudican-
di; & quid de aliorum laboribus & versionibus
statui debeat, rectè cognoscendi, ne de rebus
iam verba faciamus. Sed reuertendum nunc
est ad historie reliqua continuationem. *Adria-
nus Pontifex, qui Caroli V. præceptor fuerat, iubet
plecti Lutherum. Campegius & consortes Ra-
tisbone damnant Lutheri doctrinam. Cumq;
vellent Lutherum cum manifesto dedecore suo
sublatum Pontificy, nec tamen effectum haberet
machinatio, votum, & desiderium ipsorum, acti-
onibus multis iam Noribergæ, iam Spira, iam
Ratisbone, iam alibi frustra institutis, & impediri
cursus Euangelij non posset amplius, aduersarijs
etiam penè animum abycientibus, extremi re-*